Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3155
Quelle:
Copyright:

licet *Jacobus* et *Margareta*, et in margine Scutulum Reginae. *Fol.* 24. p. 2. Rex ipse virili aetate (occubuit a. aet. 41.) adstante Patrono suo *Jacobo* Apost. ante aram, cujus *Antependium*, quod vocant, iterum Regni Insignia exhibet, genuflexus orat. *Fol.* 109. p. 2. rursus Insignia et Symbolum in margine; ita *fol.* 183. I. et M. μονογραμματικως auro, unionibusque repraesentatur. Demum Symbolum Regis *fol.* 189. p. 2. et Regina *fol.* 243. p. 2. adstante Angelo ad aram procidua, cujus arae *Antependio* et Insigne, et Symbolum ejus, et μονογραμμα I. M. adpicta sunt. Pictura huic e regione posita Navim ostendens, cujus vectores revellendis 2. columnis, fortassis *Herculeis*, occupantur, aut ad navigationes in utrasque *Indias* eo aevo tentari coeptas, aut ad magnam illam a *Jacobo* aedificatam Navim adludere videtur, de qua *Buchanani Rer. Scotic.* Liber XIII. Atque haec de Codicis ornamentis, quem in *Belgio*, vel saltem a *Belga* et quidem *Flandro Brugensi* scriptum fuisse concludo, cum e miniatis in *Calendario* Sanctorum ejus terrae nominibus aliis, tum maxime e nomine *Donatiani 15. Octob.* cui Librarius perperam adscripsit: *episcopi Brugie*; fuit enim is *Rhemensis*, quamvis Reliquiae ejus in Ecclesia *Brugensi* quiescant, quae anno primum 1560. cathedralis evasit. *Calendarium* porro excipiunt: Initia IV. Evangeliorum, Orationes S. *Brigittae*, Horae de Cruce, Preces variae, Officium B. M. V. Psalmi Poenitentiales, Vigiliae Defunctorum, Psalmi de Passione Domini, Psalterium *Hieronymo* subpositum, Passio Domini secundum IV. Evangelistas, et aliae Preces, in quibus *Codex* mancus deficit.

DCCCCXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 24. 4. eleganter exaratus, minioque distinctus Titulum praefert: *Contemplacio Saluberrima Gestorum Vitae Passionisque Salvatoris Nostri Precipuorum Ex Testamento Graciae Et Lucis Veritate Articulatim Et Diligenter Collecta.* Hunc Titulum brevior excipit: *Vite et Passionis Christi Meditacio.* Hujus initium: *Jesu mi Dilectissime, Qui Deus es ante secula ex substantia Dei patris genitus: A patribus denique et patriarchis per multa seculorum tempora cum vehementi desiderio expectatus &c.* Atque ita ἀποσροφικως omnia Historiae Evangelicae Gesta enumerantur, dum in fine fiat collectio ejusmodi: *Tu benignissime Domine Jesu, per hos sanctissimos Vitae tue actus, passionem, crucem et mortem tuam libera nos — quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Amen.* Latet Autor; verum e Textu *Psal.* LXXI. *Fol.* 1. praefixo: *Deus Judicium Tuum Regi da, et Justiciam Tuam* Filiis *Regis*, conjicio, Opusculum *Ferdinando* I. Imp. tribusque Filiis *Maximiliano*, *Carolo* et *Ferdinando* oblatum fuisse.

DCCCCXVII.